do conſideratur reſpectu rei,ad quā habet̄ reſpectus,
& fit relatio, ut per Bart.in d.l. ſcio. & facit id, qđ uo-
lunt Abb.& alij in c.1.de accuſatio.ſed expenſæ, & o-
nera per ſtatutum ponūtur reſpectiuè ad lucrū totius
dotis,ergo intelligi dēt de oneribus, & expenſis ma-
gnis,ſicut eſt lucrū totius dotis. Rurſus ſtatutū vult,
lucrum totius dotis,ſpectare ad maritū in recōpenſa
tionem onerū,& expenſarum matrimonij, ergo dēt
intelligi de magnis,& notabilibus expenſis,& oneri-
bus, quale eſt lucrum dotis, tum quia iniquum eſſet,
ꝙ ob modicā, & leuēm expenſam maritus dotē triū
milliū lucri faceret,qđ non eſt veriſimile, argumen-
to l.non eſt.ff.qđ met. cau. tum qnia inter modicam
expenſam, & magnum lucrū totius dotis non cade-
ret recompenſatio, quā expreſsè conſiderat ſtatutū:
41 † recompenſatio.n.cadit inter æqualia,non aūt inter
æqualia,& pretiū, qđ datur pro recompenſatione rei
emptæ, aut conductæ, non dēt eſſe modicū,& leue,
alioquin cōtractus nō ualeret,ut in d.l.ſi qs conduxe-
rit. ibiq; gl.& Bar.& facit id,qđ uoluit Bal. in l.fi. in 1.
q.C.de cōpenſa.per Bar.& Bal.in l. in rebus. in fi.poſt
gl.ff.cōmod. Cum igitur in caſu occurrenti factæ nō
fuerint expenſæ,nec ſubſtenta onera matrimonij lu-
cro dotis faciendo æquiualētia, immò longè mino-
ra,ac modica,& fortè nulla, ſed ꝙ non ſumus in caſu
dicti ſtatuti,qđ in ſuo caſu,& rigoroſè ɔ̃ maritum eſt
intelligendum,ne iniuſtè inferatur præiudiciū hære-
dibus uxoris,excludendo parentes, fratres,& conſan
guineos ipſius à ſucceſſione ob modicas expenſas à
marito factas reſpectiuè ad magnū dotis lucrū, argu.
c.ſuggeſtū.c.dilecti.extra de decimis. & c. quid p no-
uale. de uerb.ſignifi.bonus eſt text. in l.2. §.ſi quis. cū
gl.ff.ne quid in loco pub.& argu.l.1. §.ſunt autem. in
uerſi. oportet. iuncta glo.ff.ne quid in flumi.pub. ubi
glo.dicit utilitatem,hoc eſt maximam:& in verb.in-
iuria dicit,ideſt maxima.Præterea ſtatutum uult,ma
ritum lucrum totius dotis conſequi propter onera,
& expenſas,& rectè,quia proprium onerum, & incō-
modi eſt lucra conſequi. l. ſecundum naturam. ff.de
reg.iuris.§.de illo.inſt.de ſocieta. ergo æqualis dēt e
cā onerum,& expenſarū ipſi lucro,& econtra,alioqu
iniquum eſſet ob minimum damnum uelle lucrū im
menſum conſequi.arg.l.ſi non fuerint.cum l.ſequen
ti.ff.pro ſocio.cum ibi notatis.¶ Tertio ſtatutū hmō
loquitur de dote aut ab ipſa muliere, uel ab alio pro
ea,uel eius nomine ipſi marito data,promiſſa, uel cō
ſtituta,ut ibi lucrari debeat totam dotem ſibi ab ux
re,ſeu à quouis alio pro ea, uel eius noīe conſtituta
42 datā,ſeu etiam promiſſam.Et † quamuis ſtatutū iſtu
de lucro dotis habeat locum in dote data,aut promi
ſa, ut uoluit Salic.in d.l.cum in te.C.de dona.ante n
pt.& per gl. iuncto tex. in l.cum poſt. §. 1. in uerb.ha
bet.ff.de adminiſt. tuto.tamen locum habere non d
citur in dote à patre filiæ ſuæ pupillæ ante contract
matrimonium,& ſponſalia legata, & in teſtō relicta
quia & ſi talis dos dici poſſit ipſi filiæ conſtituta,ut ſu
pra probatum fuit per multa iura, ut in d.l.cū pater.i
d.l.qui filium.& in d.l.qui pupillā.cum ſimilibus,non
tamen ipſi marito dicitur data,promiſſa,ſeu conſtitu
ta ab vxore, ſeu ab alio eius nomine, prout expoſci
ſtatutum prædictum,qđ in caſu ſuo expreſſo ſolum lo
cum habere pōt,& non ultra,ut ſæpè dictū fuit: Nam
43 † præſuppoſito,D.Dianam ſimpliciter cōtraxiſſe ma
trimoniū cum Do.Hercule, nulla mentione facta d
aliqua dote,ſibi legata,nec aliter,profectò nō pōt di
ci dos aliquo modo ipſi marito data,aut promiſſa,ſeu
conſtituta,quinimmò matrimoniū dr̄ ſine dote con
tractū,ita uoluit Bal.in l.nulla.in 2.colum.in uer.ſed
pone ꝙ ſimpliciter eſt contractum.C. de iure dot.gl
1.in l.mulier bona.ff.eo.tit.quæ dicit Ariſtotelē con
trarium dixiſſe,ſed hoc à lege non dici, & conclud
Bar.in q.incip.Mulier habens amplū patrimoniū,q
ſi mulier minor ſimpliciter matrimonium cōtrax
tacitè non cenſetur dotem marito dare, ſeu cōſtitue
re,maior uerò cenſetur ſecundo uiro dotem illā dar
ſeu conſtituere,quam alius tertius pro ea prius prior
uiro dedit,ſeu promiſit,at ſi alius tertius pro illa dot
priori uiro non dediſſet, aut aliter non conſtituiſſet,
tunc ipſa ſimpliciter contrahendo matrimoniū non
cenſetur illi dotem dediſſe,nec conſtituiſſe,& hoc o-
ptimè probatur ex text. in l. fina. & ibi Salicet. C.
de repud. maximè in uerſicu.eodem modo, & in au-
thent. de nuptijs. in §. ſi quis enim. uerſicul.& ſi mu-
lier. ſed in caſu noſtro Domina Diana erat minor,
immò pupilla, quando cum Domino Hercule ſim-
pliciter matrimonium contraxit, ergo etiam ta-
citè non cenſetur dotem aliquam marito conſtitui
ſe. Præterea tempore primi matrimonij, ſeu ſpon-
ſaliorum cum priori contractorum ipſa non promi-
ſit, nec conſtituit dotem aliquam, ergo ſimpliciter
cum ſecundo contrahendo, non dicetur dotem ali-
quā ɔſtituiſſe,aut promiſiſſe, per ea, quæ ſupra dicta
ſunt,maximè per no.per Bart.& alios in locis allegat
¶ Nec aduerſatur illud, qđ uoluit Bal.ī l.cū circa.per
gloſam ibi. C.de iure dotium. ꝙ ſtatutū de lucro do-
44 tis uendicat ſibi locum in dote præſumpta, † qñ ipſe
loquitur, qñ dubiū eſſet, an marito pro matrimonio
dos fuiſſet data,promiſſa,aut aliter cōſtituta;ꝙ enim
dos data fuerit,probari poteſt per teſtes,uel alias pro
bationes,ſeu per præſumptiones, & inditia, & in do
te ſic præſumptiuè probata habet locum ſtatutum lo
quens de lucro dotis,& ſic Bal.ibi loquitur de dote p
ſumptiuè probata,non autem de dote,quæ pro certo
nō eſſet marito data, neque promiſſa, ſed poſſet dici
præ-

præſumpta, hoc eſt imagin aria, & in mēte patris, uel
filiæ nuptæ conſiderata tantū, & non aliter expreſsè
uiro promiſſa, nec data: & ꝙ in huiuſmodi dote taci-
ta, quæ præſumpta dici poteſt, etiam ſi illa fuiſſet an-
te matrimonium uxori legata dictū ſtatutū de lucro
dotis locū non habeat, expreſsè uoluit Alex. in conſi.
122. in 7. uol. qui in fortioribus terminis cōſuluit, do-
tē uxori legatā ante matrimonium contractū dicto
45 ſtatuto non comprehendi. † Mulier. n. ibi primo con-
traxerat matrimonium ſimpliciter nulla dote conſti
tuta, & primus uir ueniens ad mortem uxori legauit
certā dotem, quam in teſtamento confeſſus fuit ſe ab
uxore habuiſſe, quæ confeſſio nocet uiro, & hæredi-
bus ſuis, ut teneantur dotem illam uxori præſtare, ēt
ſi eam uir non recepiſſet, ut in §. ſed ſi uxori. Inſtit. de
lega. l. ſi non deſignata. C. de falſa cauſ. adiect. lega. de
mū uxor, cui maritus certā dotem legauit, cū ſecun-
do matrimonium ſimpliciter nulla dotis mētione fa
cta ꝯxit, dubitatū fuit, an uxore poſtea moriente uir
ex ſtatuto dotē, uel illius partē lucrari poſſit; quod ui-
debatur, quia illa dos legata tacitè ſecundo uiro con-
ſtituta cenſebatur per ea, quę uoluit Bar. in d. q. ſua, tñ
46 ꝯrium conſuluit Alex. in d. conſ. 122. ¶ Quarto † qñ
dos ante matrimonium per patrē in teſtamento filiæ
maximè pupillæ legata fuit, nullo habito reſpectu ad
certū generum, nec illius contemplatione, talis tunc
non poteſt dici, nec eſſe dos, qa ſine matrimonio dos
eſſe non poteſt. l. 3. ff. de iur. dot. & faciunt ea, quæ ha-
bentur per Alex. & Soci. in d. l. de diuiſione. ff. ſol. ma
trim. ergo ſi poſtea filio uiuo, ſeu mortuo patre ſim-
pliciter matrimoniū contrahat, nihil dicendo de do
te, non pōt talis dos dici marito cōſtituta, aut promiſ
ſa, cum dos nulla uerè, & eſſentialiter fuerit, nec uiro
dos aliqua fuerit promiſſa, & ꝯñr in tali dote nō pōt
dictū ſtatutum locum habere, quod uerificatur ſolū
in uera, & propria dote ipſi marito promiſſa, aut con-
ſtituta, ut ex uerbis illius apparet, iunctis ijs, quę habē
tur per Bal. poſt glo. in d. l. 1. C. de condi. ob cauſ. & in
d. l. 2. C. de dot. promiſſ. ¶ Corroborantur præmiſſa,
47 † nā qñ ante matrimonium pater filiæ dotē legauit,
quāuis ex hoc filia dicatur dotata, ut per Bart. in d. l. ꝗ
pupillam. cum ſimil. tñ nō poteſt dici futuro marito
conſtituta: & ideò non illi, ſed ſoli uxori actio ad do-
tē competit, ut in l. cum pater. ff. de iur. dot. immò ſi
nomine filiæ pater dotē genero legaſſet, filiæ, & non
genero actio competeret. l. ſeruo legato. §. ſi teſtator.
ff. de leg. 1. quomodo igiť pōt in caſu noſtro dici dos
data, aut promiſſa, ſeu conſtituta do. Herculi marito?
48 nullo modo certè. Et † quamuis gener poſſit ad talem
dotē legatā à patre agere, ſi ſibi ab uxore actio ceſſa
fuerit, ut habetur per ſcribētes in d. l. titio centū. §. fi.
& per Rui. in d. rub. tamen hoc contingit, quia filia,
hoc eſt uxor ei cedendo dotem conſtituit, & in illum
actionem ad petēdā dotem legatā tranſtulit, qm̄ qui
actionem habet, rem habere vř, ut in l. qui actionē. ff.
de reg. iur. l. rem in bonis. ff. de acq. rer. domi. & l. ha-
49 bere. ff. de verb. ſig. cum glo. & † licet filia dicatur do-
tata, cui ſimpliciter dos legata fuit ante matrimoniū,
quo ad effectū excludendi eam à ſucceſſione, ex di-
ſpoſitione ſtatuti, quod excludit filiam dotatā, ut uo-
lunt Doctores communiter ubique, & maximè Bart.
in d. l. titio cētum. in fi. & in d. l. qui pupillā. de adulte.
l. qui filium. ff. ubi pupill. educa. debeat, cū ijs, quæ al-
legantur per Modernos in d. rub. ff. ſol. mat. tñ nō de-
bet cenſeri dotata quo ad effectū, ut maritus lucretur
dotē, ex ſtatuto loquente de lucro dotis. Et ratio di-
50 uerſitatis apparet primo, † quia ſtatutum excludens
filiam dotatā propter maſculos dř eſſe fauorabile in-
troductum principaliter fauore agnationis, & fami-
liæ conſeruandæ. argum. l. qui exceptionē. in princ. ff.
de cond. indeb. ut uolunt Doct. communiter, Bald. &
alii in l. maximum uitium. C. de liber. præter. Gaſpar
Calda. in conſ. 11. in 6. & 4. col. Ange. in conſ. 68. & in
conſi. 119. & Barth. Bologni. in conſ. 69. ſed ſtatutum
deferens marito lucrum totius dotis, quale eſt illud,
de quo agitur, dř odioſum, exorbitans, & correcto-
rium, ut ſupra dixi, & traditur expreſsè per Bal. in d. l.
1. C. de cond. ob cauſ. in 4. oppo. in l. 1. C. de dot. pro-
miſſ. Præterea ſtatutū excluſiuum fœminarum à ſuc-
ceſſione loquitur ſimpliciter de filia dotata, quæ pōt
dici, & eſt dotata, ſi ei dos legata fuit, ut per Bart. in d.
§. titio genero. & in d. l. qui pupillam. cum ſi. at ſtatu-
tum de lucro dotis in caſu noſtro non loquitur de fi-
lia, ſeu uxore dotata ſimpliciter, ſed qñ marito dos
fuit ab uxore, aut ab alio eius nomine data, promiſſa,
aut conſtituta, quo caſu etſi mulier, cui dos fuit lega-
ta, poſſit dici dotata, non tñ uerum erit dicere, quod
hoc modo dos poſſit dici marito data, aut promiſſa,
uel conſtituta. Et quāuis fortè, fictè, & impropriè dos
legata filiæ, ſeu mulieri poſſet dici conſtituta ipſi ma-
rito, ueluti conatur perſuadere Rui. in d. rub. in 2. col.
quod nō placet ex p̄dictis, tñ uerè, & propriè loquen-
do non pōt dici ipſi marito cōſtituta, aut data, ſeu ꝓ-
miſſa, qa in ueritate nō ſibi, ſed mulieri fuit conſtitu-
ta, ut conſtat, ergo talis dos non pōt cōprehendi ſub
hoc ſtatuto de lucro dotis, quod requirit dotem eſſe
marito conſtitutā, aut datam, uel promiſſam, & in eo
uerba ſunt propriè, & uerè, ac in caſu ſuo uero intelli
gēda, ut dicit Bal. in d. ſuo tractatu ſtatutorū. & in d. l.
2. C. de dot. promiſſ. & ī d. l. 1. C. de cōd. ob cauſ. ¶ Cō-
51 firmatur ēt cōcluſio tradita, † nā maritus, qui nō ſub-
ſtinet, ſeu ſubſtinuit onera matrimonij, nec expenſas
fecit, dotis fructus non lucratur. l. dotis fructus. l. ubi
adhuc. & l. pro oneribus. C. de iur. dotium. & not. in l.
ſi ante. & in l. de diuiſione. ff. ſolut. matr. ergo nec de-
bet dotē, uel eius partē lucrari, qm̄ facilius uir lucrať
fructus dotis, quā dotem, uel illius partē, quod patet,
nā maritus putatiuus fructus dotis lucratur, ſed non
lucratur ex ſtatuto dotem, uel illius partē. l. 1. cum ibi
not. C. de cōd. ob cauſ. Alex. & alij in l. ſi cum dotē. §.
tranſgrediamur. ſol. matr. & Bald. Nouel. in 11. parte
ſui tractatus dotis. ¶ Modo ſupereſt reſpondendū ijs,
quæ in ꝯrium conſiderata fuerunt, & præcipuè à Rui-
no in dicta rub. ff. ſol. matr. quæ licet ex prædictis ſint
reſoluta, tamen ſpecialius reſpōderi pōt, & in primis
dico Rui. non nulla præſupponere, quæ de iure ſubſi-
52 ſtere non uidentur, † falſum. n. vř, ꝙ dos relicta filię in
teſtamento, quæ dř deſtinata filiæ pro matrimonio
contrahendo, quia ſub modo ſibi relicta dř, & ideò
de implendo modum cauere tenetur, ut ſupra dictū
fuit, & probatur argumento d. l. cū pater. dicatur ſe-
quuto matrimonio tacitè marito conſtituta, & pro-
miſſa, qm̄ futuro genero poſt matrimonium ēt ſubſe
quutū nō datur, nec cōpetit actio, ſed ſolum ipſi uxo-
ri, & filiæ. d. l. cum pater. d. l. ſeruo legato. §. ſi teſtator.
cum ibi not. l. huiuſmodi. §. cum pater. ff. de leg. 1. ubi
gener, & ſic maritus filiæ legatariæ ita demum agit, ſi
ſocer ultra legatum illi per ſtipulationem promiſiſ-
ſet; filia enim ſola ex legato agit actione ex teſtamen-
to, gener uerè ex ſtipulatione, ergo ſi ſimpliciter filiæ
pro dote ante matrimoniū, & nuptias legatū fuerit,
ſola filia agit. d. §. ſi teſtator. ubi ſi contemplatione fi-
liæ, & illius nomine pater genero dotem legauerit,
quo caſu non genero, ſed filiæ dř legatū. l. fideicōmiſ
ſa. §. interdum. ff. de lega. 3. ſola filia agit, & nō gener;
ſi uerò genero ſimpliciter dotem pater legaſſet, quo
caſu utriuſq; contemplatione cenſetur legaſſe, tunc
utriq; datur actio. d. l. titio centum. §. titio genero. ff.
de cond. & demon. ergo falſum eſt, ꝙ dos legata filię,
ſequuto matrimonio, dicatur tacitè marito conſtitu-

ta,

ta, ſeu promiſſa, nam hoc iure cautũ non reperitur,
52 †niſi mediante ceſſione actionis marito à filia facta,
ut præſupponit Rui.in d.rubr.in 2.col.cum ſeq. & uo
lunt Doct.in d. §. titio genero. & in alijs iuribus alle-
gatis: & tunc filia cedẽdo expreſsè diceretur marito
dotẽ conſtituere transferendo actionẽ ad dotẽ, quia
qui actionẽ ad rẽ habet, rẽ ipſam habere cenſetur.d.l.
qui actionem.cum ſi. & per ceſſionẽ maritus efficere
tur dominus utilis, argumento eorũ, quæ habentur ꝑ
Baldũ in l.1.in fi. verb. C.de uſucap. pro dote. Ceſſio
aũt in caſu occurrenti non interuenit, igitur non de-
bet dici dos per mulierẽ, hoc eſt filiã tacitè marito,
hoc eſt do.Herculi conſtituta, ſeu promiſſa. Præterea
54 †cum ipſa do.Diana tẽpore, quo nuptias, ſeu ſponſa-
lia contraxit cum do.Hercule, eſſet minor 25. annis,
& fortè pupilla, ſimpliciter cõtrahendo matrimoniũ
cum do. Hercule non põt dici dotẽ tacitè conſtituiſ-
ſe, aut promiſiſſe, ut uoluit glo. cõmuniter approba-
ta, in l.nulla.C.de iure dotiũ.& Bart.in d. ſua q. incip.
Mulier habens amplũ patrimonium, in ſolutione q.
& hanc difficultatem ſenſit etiam Ruin.ibi, quãuis il
lã irreſolutam dimittat. Nec debet obſtare id, quod
Ruinus in ſimili adducebat, ꝙ qñ mulier primo dotẽ
dediſſet, deinde ſimpliciter cum ſecundo uiro matri-
monium contraxiſſet, tacitè cenſetur dotem illã pri-
mã ſecundo uiro dediſſe, & conſtituiſſe, etiam ſi pri-
mũ matrimonium fuiſſet putatiuum, & inualidũ, ꝗa
dico, ꝙ hic non eſt caſus ſimilis, ſed totaliter diſſimi-
lis, & rationem diſſimilem, ac difformẽ habens: nam
55 †in hoc caſu, qui ſimilis dr̃, dos ſemel fuit deſtinata,
& expreſsè conſtituta à muliere pro matrimonio, &
ideò ſemper durat ſic deſtinata, & ad oẽ ſubſequens
matrimonium trãſit. l.cum ſerua. ff.de iure dotium.
aliud uerò eſt, qñ mulier expreſsè dotẽ pro matrimo-
nio non conſtituit, nec promiſit, quia ſimpliciter cõ-
trahendo matrimonium non dr̃ dotem conſtituiſſe,
nec tacitè promiſiſſe, quamuis à patre fuiſſet aliquid
ei pro dote relictũ. Ratio diuerſitatis eſt, quia primo
caſu adeſt ſemel expreſſa uoluntas mulieris circa do-
tis conſtitutionẽ, quæ ſemper dr̃ durare, niſi de reuo-
catione conſtet, ſecundo autem caſu ſecus, ut plenè
colligitur hæc diuerſitas ex ijs, quę ponit Bar.in d.ſua
56 q.Præterea †quamuis poſſet dici, filiam tacitè dotem
cõſtituiſſe quoad effectum, ut maritus lucraretur fru-
ctus, & ſubſtinere poſſet onera matrimonij, quia hoc
eſt fauorabile, & ſecundum regulas iuris. l. dotis fru-
ctus.l.ubi adhuc.& l.pro oneribus, ſupra allegatis, nõ
tñ quoad effectũ, ut maritus poſſit ex ſtatuto lucrum
dotis conſequi, nã hoc eſt odioſum, & exorbitans, ut
iam dictũ fuit: & ratio diuerſitatis inter caſum acqui-
ſitionis fructuum, & caſum acquiſitionis lucri dotis
eſt manifeſta, nam facilius fructus dotis acquiruntur,
quàm lucrum dotis ex ſtatuto, ut ex ſupra dictis colli
gitur. Præterea ad acquirendũ lucrum dotis ex ſtatu-
to non ſufficit, dotẽ tacitè fuiſſe à muliere, uel ab alio
conſtitutã, ut quia ante matrimonium contractũ dos
eſſet legata ipſi mulieri fortè à primo marito, ut nota
biliter, & pulchrè conſuluit Alex.in d.conſi.122. in 7.
volu. cuius uerba optimè huic conſultationi noſtræ
inſeruiunt. Nec obſtat id, quod pro confirmatione di
ctorũ ſuorum ſubiungebat Ruin.in d.rubr. ꝙ qñ filiæ
fuit aliquid à patre in teſtamento pro dote relictũ, ip-
ſa agere non poteſt ante ꝯ̃ctum matrimonium, niſi
caueat de conuertendo relictum in dotem pro matri
monio futuro: ergo præſtita huiuſmodi cautione ap-
paret, dotẽ per mulierem fuiſſe conſtitutã per ea, quę
habentur in d. §. titio genero. quia reſpondetur pri-
57 mo, †ꝙ cautio prædicta à muliere vr̃ ſolum præſtan-
da in caſu, quo ſibi pro dote fuiſſet aliquid à patre le-
gatum, & poſtea illud idem à patre genero per ſtipula
tionem promiſſum, & non qñ ſimpliciter legatũ filiæ
pro dote fuiſſet, ut declarat tex.in d.l.cum pater, ubi
caſus. Secundo reſpõdeo, ꝙ ex prædictis infertur, cau
tionem eſſe illam, quæ facit dici dotem fuiſſe à filia,
ſeu muliere conſtitutam ſecundum Ruinũ: ergo ubi
cautio talis non eſſet præſtita, non diceretur dos taci
tè futuro uiro cõſtituta, neq; promiſſa, ſed in caſu oc-
currenti talis cautio à muliere nõ fuit præſtita, nec lo
cus fuit præſtationis talis cautionis, quia ipſa Diana
non egit, nec petijt ante matrimonium ꝯ̃ctum illud
quod fuerat ſibi pro dote legatum, ergo non fuit lo-
cus alicui cautioni. d. l.cũ pater. & traditur per Doct.
Bart. & alios in d. §.titio genero. & ideò hac ratione
nõ potuit in caſu noſtro dici tacitè dos futuro marito
conſtituta, ſeu promiſſa, & hęc ſunt benè notanda, quia
uera, quicquid dixerit Rui. cuius dicta fortè ſubſtine
58 ri poſſent in terminis, in quibus loquitur. Nã †pro cla
riori inueſtigatione, & cõcordia poſſent plures caſus
breuiter conſiderari, primus ſit, qñ mulier, ſeu alius
eius nomine dotẽ primo uiro dedit, uel promiſit, &
in primo matrimonio ſiue uero, ſiue putatiuo, dein-
de ꝯ̃xit matrimonium ſimpliciter cũ ſecũdo marito,
nã tunc dos ſemel cõſtituta, & promiſſa in primo ma
trimonio, cenſetur pro ſecundo repetita, & tacitè cõ
ſtituta.glo.in d.l.nulla. & ibi Docto.in d.l.mulier bo-
na, & Bar.in d.ſua q.& d.l.ſi ſerua.cum ſi.& in hac do-
te reſpectu etiã ſecundi mariti ſtatutũ de lucro dotis
locũ haberet, & hic non eſt caſus noſter. Secundus ca
ſus ſit, qñ filia dotata à patre in teſtamento illi aliquid
pro dote legando, actiones ſibi cõpetentes ceſſit ma
rito, ſeu ſponſo ſuo ad id, qđ ſibi fuit pro dote relictũ,
& ſimiliter hoc in caſu filia, ſeu mulier cedendo põt
dici, dotẽ tacitè conſtituiſſe, & marito promiſiſſe, &
in tali dote ẽt poterit dictum ſtatutũ de lucrando do-
tem locũ habere, & hic etiam nõ eſt caſus noſter. Ter
tius caſus ſit, qñ filiæ in teſtamento patris fuit legatũ
factum pro dote, & ipſa ante matrimonium illud le-
gatum petiit, prout petere poteſt, ſecundũ quod de-
clarant Bar.& alii in d.§.titio genero. & cauit de con
uertẽdo illud in dotẽ pro futuro matrimonio, prout
cauere tenetur, & eſt de mente Rui. in d.rub. & Bar.
ac aliorum in d. §.titio genero. & tunc dos mediante
illa cautione dicetur tacitè conſtituta, & promiſſa, ut
per Rui. ibi. & in tali dote ẽt fortè poterit habere lo-
cũ dictum ſtatutũ de lucro dotis, ſed hic etiam non
eſt caſus noſter, ut patet, & ſupra declaraui. Quartus
caſus ſit, qñ pater filiæ in teſtamẽto aliquid certũ pro
dote reliquit, deinde ipſa filia poſt mortẽ patris non
petiit dotẽ illam, nec cauit, ut ſupra, nec futuro mari-
to, ſeu ſpõſo actiones ceſſit, ſed ſimpliciter matrimo
nium ꝯ̃xit cum primo uiro, & fortè etiã cum ſecũdo,
in hoc.n.uim non facio, nulla dotis mentione facta:
& tunc ueriſſimum vr̃ eſſe de iure ſaltẽ quoad effectũ
ſtatuti loquentis de lucro dotis, ꝙ propriè ipſi mari-
to non dicatur tacitè dos cõſtituta, nec promiſſa per
prædicta, maximè per not. per Bart. in d. ſua q. & per
alia ſupra allegata: quia & ſi filia ipſa poſſit dici dota-
ta, ipſiq; dos conſtituta quoad effectũ ſtatuti loquen-
tis de ſucceſſione maſculorũ, & quoad alios effectus,
non tamen dicetur dos tacitè marito conſtituta quo
ad effectũ, ut ipſa poſſit dotem lucrari ex ſtatuto, de
quo diſputatur, ut ſupra probatum fuit; & hic eſt pro-
priè caſus noſter: & tanto magis hoc uerũ erit, qñ fi-
lia, cui fuit pro dote relictũ, erat minor tempore ma-
trimonii contracti, qualis erat ipſa do.Diana, per ea,
quæ habentur per glo.in d.l.nulla. & per Bar. in ſolu-
tione d. ſuæ q. Immò attentari poteſt, ꝙ prædictum
ſtatutum de lucro dotis locum non habeat in dote
ſic tacitè conſtituta, quæ fuiſſet mulieri legata ante
matrimonium contractum, qm̃ poſtea ſimpliciter
nulla

nulla facta mentione de dote, matrimonium contra
hendo non dicetur per mulierem dos illa tacitè con
ſtituta marito quoad effectum, ut maritus illam poſ-
ſit lucrari, muliere decedente in matrimonio ſine li-
beris, ut tradit Alex. in d. conſi. 122. ¶ Præterea, & ul-
timo † conſiderandum eſt, ꝙ ex quo Fauſtina præde-
59 ceſſit teſtatori, Diana iure accreſcēdi in totum, & in
ſolidum fuit hæres non aliter, ac ſi ipſa ſola fuiſſet in
totum à patre hæres inſtituta adeò, ꝙ adeundo hære-
ditatem ſibi etiā inuitæ pars illa accreuit, quam Fau-
ſtina ipſa habitura fuiſſet, ut in l. unica. §. his ita diffini
tis. C. de caduc. toll. l. qui ex duabus. in fi. ff. de acquir.
hæred. l. ſi duo. eodem tit. & l. Titius, & Seius. ff. de hæ
60 red. inſtit. Et iō infertur, † ꝙ legatum factum de tribus
millibus pro dote ipſi Dianæ fuit inutile, & nullū, nā
quando unus tantum fuit hæres inſtitutus, ſi in teſta-
mento teſtator ei legatum fecerit, illud eſt inutile, &
nullum, quia hęredi à ſemetipſo legatū dari nō pōt. l.
61 legatū. §. hęredi. cum gl. 1. in prin. ff. de leg. 1. † ſecus ſi
duo heredes fuiſſent inſtituti, qui ambo adiuiſſent hę
reditatem, nam tunc legatum factum uni ex hæredi-
bus ualeret, quia partem haberet iure hęreditario ex
perſona ſua, & aliam partem iure legati manu cohæ-
redis, ut in l. Titia. §. Lucius. ff. de leg. 2. l. Lucius. §. Mæ
uia, & ibi Bar. ff. ad Trebellia. Et iō cum in caſu noſtro
ipſa Fauſtina cohęres non potuerit eſſe hæres, quia pa
tri teſtatori prędeceſſerit, ſequitur, ꝙ Diana totū lega
tum ſibi factum habuiſſe dicitur non iure legati, quia
illud à ſe ipſo ſibi dari non potuit, nec partem legati
habere potuit à Fauſtina cohęrede, quæ non fuit hæ-
res, quia prædeceſſit teſtatori, ſicq; ſua inſtitutio ca-
duca fuit effecta, & inualida. d. l. unica. §. & cum tripli
ci. C. de cadu. tollen. ſed totum illud legatū pro dote
habuit iure hæreditario, & ſimpliciter tanquam hæ-
res, non aūt tanquā legatū pro dote factū: quo fit, ut
uirtute illius legati, quod nullū, & inualidū fuit, filia
Diana non potuit dici dotata, nec ēt illius occaſione
dici pōt, ꝙ marito, hoc eſt D. Herculi tacitè fuerit dos
conſtituta, ſeu promiſſa, cum legatū illud non debue
rit eſſe in conſideratione, ex quo Diana nō habuit, ut
legatum ſibi pro dote factū, ſed totū, hoc eſt legatum
& reliquū hæreditatis duntaxat iure hæreditario, & ut
hæres ſimpliciter, nulloq; modo ut legataria habuiſ
ſe dr̄. Ex his igitur ceſſare debent oīa, quæ in cōtrariū
allegari poſſunt, & præcipuè ea, quæ Rui. in d. rub. cō
ſiderabat, quia ipſe loquitur præſupponēdo legatū ꝓ
dote ualere, & utile eſſe, illudq; vt legatū filiā capere
poſſe, vt ꝗa pater, aliū hæredē inſtituēdo, ipſi filiæ nō
hæredi inſtitutæ aliquid ſimpliciter pro dote legauit,
ꝗa tunc ꝑꝑ legatū ſibi factū dr̄ illud totū capere iure
legati, & iō potuit dici dotata, vt pet Bart. in d. §. titio
genero. & d. l. ꝗ pupillā. cū aliis ſimilibus. & hæc ſunt
ualde ad propoſitū notāda, qm̄ difficultatis medullā
tangunt. Ex quibus omnibus conſtat oīno concludē-
dū eſſe ad fauorem hæredū Dn̄æ Dianæ ↄtra dictū D.
Herculem, necnon per prędicta ſaluari pn̄t aliqua ex
iis, quæ Ruinus deducit in d. rub. Cætera ſupplebit do
ctiſſimus, ac iuſtiſſimus iudex. Laus Deo.

## *S V M M AE.*

*1 Maritus lucratus ex diſpoſitione ſtatuti dotem, vel eius partem ad æs alienum uxoris prædefunctæ præter funeris, & infirmitatis impenſam non tenetur, ſed onus illud ſoluendi ad hæredes uxoris ſpectat.*

*2 Lucrum dotis uxore præmoriente ex diſpoſitione ſtatuti marito in recompenſationem onerum matrimonij debetur, nec eſt quid hæreditarium, & quo iure ad maritum perueniat, & nu. 9.*

*3 Bonorum mobilium, & immobilium appellatione iura, & actiones non comprehenduntur.*

*4 Bonorum, iurium, & actionum omnium appellatione in contractibus ſolum præſentia ueniunt.*

*5 De dotis augumento idem, quod de ipſa dote iudicatur.*

*6 Dotis augumentum ultra dotē prius datā etiam conſtante matrimonio poteſt ab vxore, uel alio eius nomine dari, ſeu promitti.*

*7 Dotis noua conſtitutio, uel iam datæ augumentum quādo dicatur.*

*8 Reformatio, ſeu renouatio quando noua conceſſio eſſe dicatur.*

*9 Lucrum dotale marito liberè, & ſine aliquo onere in recompenſationem onerum matrimonij debetur.*

*10 Nec de hæreditate mulieris eſſe dicitur.*

*11 Ceſſio iuriū, & actionū pertinentium ad ipſum cedentē intelligitur de iuribus, & actionibus actiuè, non aūt paſſiuè pertinentibus.*

*12 Competere ius alicui dicitur, quando actiuè, & ad illius utilitatem competit.*

*13 Marito utiliter gerenti negotia uxoris aduerſus illam, uel eius hæredes actio negotiorum geſtorum competit.*

*14 Donatio nunquam in dubio præſumitur, maximè inter uirum, & uxorem.*

*15 Cedens, & transferens actiones nunquam contra ſeipſum illas ceſſiſſe, & tranſtuliſſe præſumitur.*

*16 Actiones perſonales non ſingularem, ſed uniuerſalem ſucceſſorem aſtringunt.*

*17 Mulier mutuum recipiendo, aut aliter ſe obligando nec in dote, nec in lucro dotis marito præiudicat.*

*18 Etiam quando mutuum à marito recepiſſet, uel aliter ex cauſa alia, quam donationis contraxiſſet.*

*19 Maritus cum uxore contrahens non præſumitur uoluiſſe iuri ſuo præiudicare, & renunciare.*

*20 Lucrum dotale marito debitum non eſt propriè lucrum, & ex titulo oneroſo debetur.*

*21 Dies incertus in ultimis uoluntatibus conditionem facit ad impediendam tranſmiſſionem, ſecus in contractibus.*

*22 In contractibus, & ſtipulationibus conditionalibus ſpes, & ius obligationis ad hæredes actiuè, & paſſiuè tranſmittitur, ſi quem ante, quàm conditio extet, mori contigerit.*

*23 Et in illis quoad effectum acquiſitionis quod tempus inſpiciatur.*

*24 Promiſſio ſi facta ſit alicui de ſoluendo hæredibus ſuis, is in uita ſua ex illa promiſſione non poteſt agere.*

*25 Actio hypothecæ, et obligationis non competit ad id, propter quod generalis obligatio, & hypotheca contracta fuit.*

*26 Bona dotalia non poßunt alienari, nec marito, aut alij ex alia cauſa, quam dotis obligari.*

*27 Sub generali bonorum obligatione non comprehenduntur ea, quæ ſpecialiter obligari, ſeu alieuari nequeunt, nec ea, quæ contrahentes ueriſimiliter non obligaſſent.*

*28 Vxor, ſiue mulier omnia bona ſua, iura, & actiones marito in dotem aſſignans ſolum præſentia, & non futura aſſignat.*

*29 Vſusfructuarius quando ob non præſtitam cautionem de utendo arbitrio boni uiri uſufructu priuari poſſit.*

*30 Et an non præſtando cautionem de reſtituendo bona, prout fuit interpellatus, & pronūciatum ipſum teneri, uſufructu priuetur.*

*31 Cautio, ad quam uſufructuarius tenetur duas partes, ſiue cauſas continet ſeparatas, & ſeparatum effectum habentes, & ob quam ipſe uſufructu priuari poſſit.*

*32 Vſufructuarius fructus ſciente, & patiente proprietario perceptos ſuos facit etiam non præſtita cautione, nec ex eo, quod is ſciuerit, ſeu ſcire debuerit, ſe ad cauendum teneri, in mora dicitur conſtitutus, ut fructus ſuos facere nequeat.*

*33 Vſufructuarius non ſatiſdans propter ignorantiam, aut negligentiam, ſiue diſſimulationem proprietarij facit fructus ſuos, ipſique proprietario eſt hoc imputandum.*

*34 Legatum, ſeu relictum vſusfructus omnium bonorum, alio poſt uſufructuarij mortem hærede inſtituto, quando ualeat, & quando non.*

*35 Vſufructuarius omnium bonorum per uerba, dominum, & uſufructuarium relictus, alio poſt illius mortem hærede uniuerſaliter inſtituto, etiam non adita hæreditate per hæredem inſtitutum, poteſt uſumfructum propria auctoritate apprehendere, & in uſufructu tanquā in re certa hæres inſtitutus cenſetur; & de utendo arbitrio boni uiri ſatiſdare non tenetur. num. ſequenti.*

*36 Et ſi hæres uniuerſaliter inſtitutus nollet, uel non poſſet eſſe hæres, detracta uſusfructus mentione, eſſet ipſe ſimpliciter etiam in proprietate hæres inſtitutus.*



UNIVERSITÄTS-BIBLIOTHEK PADERBORN

37 *In vſufructu omnium bonorũ inſtitutus, alio poſt illius mortẽ hære de uniuerſaliter inſtituto, dicitur in vita ſua ẽt quoad proprieta tem hæres vniuerſaliter ĩſtitutus grauatus tamẽ per fideicommiſſũ reſtituere illi, qui fuit poſt eius mortẽ ĩſtitutus, fructusq; ſuos irreuocabiliter facit, nec de vtendo arbitrio boni uiri cauere tenetur.*
38 *Vſufructuarius habens certam ſpem ad proprietatem ſatiſdare non tenetur.*
39 *Legatum vſusfructus ab vxore factum marito an computetur in lucro dotis ipſi marito poſt mortem vxoris ex legis, ſeu ſtatuti prouiſione debito.*
40 *Legatum vſusfructus filio factum non computatur in legitima ei iuræ naturæ debita.*
41 *Legatũ quãdo animo cõpenſandi factũ præſumatur, & quãdo non.*
42 *Legatum de bonis ſuis ab uxore marito factum, non cenſetur factum animo compenſandi illud cum lucro marito debito.*
43 *Iudicandum non eſt ſuper non petitis, etiam ſi per viam exceptionis, uel replicationis deducta forent.*
44 *Statutum ſpeciale, & non generale attendendũ, atq; ſeruandum.*
45 *Alienatio neceſſaria, quæ fieret ex iuris diſpoſitione, formam, ſeu ſolennitatem aliàs generaliter in alienationibus, & contractibus requiſitam non expoſcit, nec alienationis appellatione propriè continetur etiam in materia alienationis prohibitæ.*
46 *Alienatione rerum minorum, niſi cum certa ſolennitate fieret, prohibita, non dicitur prohibita alienatio, quæ ex iuris diſpoſitione etiam inuito domino fieret.*
47 *Creditor bona pupilli ſibi obligata abſque legis ſolennitate uendere poteſt.*
48 *Euictio contingens ex qualitate, & natura rei euictæ inhærente nõ debetur, ſi is, cui res illa fuit uendita, uel adiudicata, naturam, & qualitatem rei ſciuit, ſecus ſi ignorauit.*
49 *Euictio facta de facto, & extraiudicialiter non debetur.*
50 *Idem ſi non fuit denunciata.*

## EPITOME.

Lvcrvm dotis ex ſtatuto loci, vxore p̃morięte, marito debitum illi, vel eius hæredibus abſq; onere æris alieni ab vxore etiã cũ marito cõtracti deberi, & excepta impenſa funeris, ægritudinis, vel alimẽtorum uxoris, totũ æs alienũ ad hæredes vxoris ſpectare, non obſtãte ceſſione etiã oĩum iuriũ, & actionũ quomodocunq; ad ipſam ſpectãtium poſt æs alienum cum marito ꝯctum ab vxore ipſi marito facta, hic demõſtrat̃.

Vſufructuarius ob nõ p̃ſtitã ſatiſdationẽ de vtendo arbitrio boni viri vſufructu nõ priuatur, qñ nõ fuit in mora illã p̃ſtandi cõſtitutus, licet iudicialiter fuiſſet ꝓnũtiatum eũ teneri ad ſatiſdandũ de reſtituẽdo bona.

Inſtitutus in vſufructu omnium bonorum, vel relictus dominus, & vſufructuarius omnium bonorũ, alio poſt illius mortem hærede vniuerſaliter inſtituto, nõ tenetur cauere de vtendo arbitrio boni viri.

In lucro dotis ex diſpoſitione ſtatuti marito debito non computatur legatum vſusfructus bonorum ipſi ab vxore factum.

## CONSILIVM XLI.

Cvm literis excellentiſſimorũ doctorũ do. Hieronymi Ruginei, & do. Venerij Catti amborũ Rauẽnatenſiũ arbitrorũ ſup litibus, & differentijs vertẽtibus inter dominũ Laurẽtiũ quõdã Frãciſci de Groſſis hęredẽ vniuerſalẽ dñæ Magdalenę de Lunardis ex una, & inter dñm Hieronymũ filiũ, & hæredẽ quondã eximij doctoris do. Andreæ de Peregrinis ex parte altera aſſumptorũ, cũ ptãte eligẽdi tertiũ in caſu diſcordiæ, mihi ſignificatũ fuerit, ipſos ſup aliquibus dubijs, in quibus inter ſe diſſentire dicũtur, in me, vt tertiũ conſenſiſſe, & ppea ambo me requiſiuerint, vt mea ſnĩa, ꝓut iuris eſſe videbitur, dictas difficultates determinare deberẽ: idcirco uiſis, & prius diligenter conſideratis oĩbus in proceſſu vtriuſq; partis deductis, & præcipuè partiũ allegationibus, p̃termiſſis ſuperfluis, & c
cluſiuè procedẽdo, breuiter quoad primũ dubiũ c
cludo, ꝙ dimidię omniũ bonorum mobilium, & i
mobilium, de quibus expreſſa habetur mentio in i
ſtrumento dotali celebrato de anno 1529. & ſub d
prima menſis Septembris, etiam comprehender
triginta tornaturas terræ redemptas, & reacquiſit
dictum dominũ Andreã nomine dominæ Magda
næ vxoris pro ducatis trecẽtis ex proprijs pecuniis
ſius dominæ Andreæ, abſq; onere aliquo æris alie
& præcipuè dictorum ducatorum trecentorum a
debetur præfato domino Hieronymo hæredi do. A
dreæ pro parte dotis, quã ex forma ſtatutorum Ra
næ maritus lucrari debet vxore præmoriente, quo
1 †onus ſoluẽdi totũ æs alienũ, excepta funeris, & i
mitatis impenſa, quæ etiam reſpicit lucrũ, qđ mar
debetur, ſpectat ad hæredes vxoris, & nõ ad marit
vt in l. licet. cũ ibi not. p glo. C. de iure dotium, iun
l. quod in vxorẽ. cũ glo. vbi Alexan. & alij. C. de ne
2 geſt. cũ alijs ibi allegatis: †hoc. n. lucrum, quod ma
to acquiritur, in recompenſationem onerũ matri
nij dicitur deberi, vt per gl. fi. in l. ſi donaturus. in §
ff. de cõdict. ob cauſ. & per Iaſ. in l. non tantum. C
leg. & non dicitur eſſe quid hæreditariũ, ſed potius
iuris diſpoſitione ad maritũ ſingulari titulo, & ma
monij cauſa cenſetur puenire, vt eſt textus in l. cũ
in §. hoc amplius. in fin. verbis, cum ſimilibus ibi a
gatis. ff. de dote prælega. & argumẽto l. qui liberis
hæc verba. ff. de vulga. & pupilla. p Alex. in conſi. 1
in 2. volu. col. 2. Ergo æs alienũ mulieris, quod de
re ad hæredes vniuerſales pertinet. vt in l. pro hære
tarijs. cũ ſequen. & l. fin. C. de hære. actio. & l. æris a
ni. C. de donatio. cũ ſimilib. nõ poteſt hoc lucrum
tis minuere, ut in d. l. licet. cum alijs infra allegand
¶ Quòd aũt lucrum prædictum, & ſic dimidia dot
quã præfatus dominus Andreas lucratus fuit, ded
debeat ex omnibus, & vniuerſis bonis, quæ tempo
ĩſtrumẽti dotalis dominæ Magdalenæ habebat, & c
ſequenter etiam ex illis triginta tornaturis terræ,
quibus ſupra, demonſtratur: nam quãuis tempore c
tracti matrimonij, quo tẽpore ſimpliciter omnia bo
na mobilia, & immobilia fuerunt per dominã Ma
dalenã ipſi do. Andreæ in dotẽ tradita, nõ potueri
dici etiam dictæ tornaturæ triginta dotis nomine
ditæ, propterea quia illæ erãt alienæ, & non in dom
nio ipſius vxoris, item quamuis ius franchandi, & r
dimendi illas nõ potuerit dici dote comprehenſum
quoniam cũ fuerint tempore contracti matrimon
data ſimpliciter in dotem bona mobilia, & immob
lia, vt habetur in inſtrumẽto dotali, non dicuntur c
3 prehenſa iura, & actiones, † quia non ueniunt appe
latione bonorum mobiliũ, & immobiliũ, ut in l. a
uo pio. §. in venditione. & ibi doctores cõmuniter
de re iudica. per quod limitatur id, quod habetur in
bonorum. ff. de uerborũ ſignifica. l. nam quod, in fi
ad trebell. & per Bartolum in l. quintus. §. argento
de aur. & argen. lega. quoniã illud procedit, quãdo
bonis omnib. ſimpliciter eſſet mẽtio facta: & an iura
& actiones accedant bonis mobilib. uel immobilib
hoc eſt aliud dubium, de quo habetur per Abb. in c
nulli. de rebus eccle. non alienan. ac per Alex. & alio
in d. §. in venditione. cum ſimilibus. tamen tempore
quo dictũ inſtr̃m dotale inter ipſos ꝯiuges factũ fuit
vltra bona mobilia, & ĩmobilia ĩ dotẽ fuerũt aſſigna
ta ẽt iura oĩa, & actiones, & ſpecialiter duæ poſſeſſio
nes, in qbus tãquã ſub quadã rerũ vniuerſitate dict
triginta tornaturę poſtea redẽptæ, & reacquiſitę, ut
ꝯtinent̃. arg. eorũ quę uoluit. Bar. in l. ſi ita. ff. de aur
& argẽto legato. & in l. 1. ff. de rebus dubijs. & ꝯtrd
ctũ inſtrumẽtũ dotale cõfectũ fuit nõ, ſolum ad eff

ctum